

**Disputatio medica inauguralis de apoplexia ... / eruditorum examini subjcit  
Gervase Alexander.**

**Contributors**

Alexander, Gervase.  
Woodforde, James  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Edinburgi : Excudebat P. Neill, 1824.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/cdkvddpg>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>





(H.)

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
**APOPLEXIA;**

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

**D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.**

*ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;*

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

**Pro Gradu Doctoris,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

**GERVASE ALEXANDER,**

Anglus.

IV. NONAS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

—

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXIV.

DISPUTATIO MEDICA  
IN ANATOMIA

APOLLINIA

D. GEORGI BAIRD, S. T. P.  
CARLSSIMO PATRI SUO

HOC OPUSCULUM

AVTHORITATE SENATUS ACADEMICI GOTTINGEN ET  
MEDICINAE FACULT. INSCRIBIT

GERVASE ALEXANDER

AVTHORIS ET LEGITIMI CORRESPONDENTIS

GERVASE ALEXANDER

Göttingae

IN NOMINE AVTHORIS, MORI LOCOQUE SOLITIS

EDINBURGI

REMPERTAT N. MULLER

MDCCCXXXII

CARISSIMO PATRI SUO

HOC OPUSCULUM

INSCRIPSIT

GERVASE ALEXANDER.

DISPCTATIO MEDICA

EVACUABILIS

DE

CALISSIMO PATRI SUO

APOPLECTICA

AUCTOR GERHARD ALEXANDER

GERHARD ALEXANDER

QUAERITUR morbus de quo nunc agitur a pluribus et eruditissimis viris, cum veteribus tum recentioribus tractatus est, eius tamen Pathologia parum intellecta esse mihi videtur. Tamen tamen, dum aliquid novi de re adeo difficili et obscura proponere vellet, forsam tenuitas operetur. Hoc autem mihi est in animo, novum illa ex his quae scriptoribus fuerunt tradita colligere et persequi. Apud Celsum caput de Apoplexia sic dicitur:

*Presented by Dr. Rutherford  
with his best wishes*

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
APOPLEXIA.

---

---

Auctore GERVASE ALEXANDER.

---

---

QUAMVIS morbus de quo nunc agitur, a pluribus et eruditissimis viris, tum vetustis tum recentioribus, tractatus est, ejus tamen Pathologia parum intellecta esse mihi videtur. Tironi igitur, qui aliquid novi de re adeo difficili et obscura proponere vellet, forsitan temeritas objiceretur. Hic autem mihi est in animo, nonnulla ex iis, quæ a scriptoribus fuerunt tradita, colligere et perpendere. Apud CELSUM, caput de Attonitis repe-



rare licet, in quo ait: “Attonitos quoque raro videmus quorum et corpus, et mens stupet. Fit interdum ictu fulminis, interdum morbo: hunc *αποπληξίαν* Græci appellant.” In capite sequenti ita dicit: “At resolutio nervorum frequens ubique morbus est. Sed interdum tota corpora, interdum partes infestat. Veteres auctores illud *αποπληξίαν* nominaverunt.” Hæc duo capita diversarum sententiarum quæ de hujus morbi frequentia prolatae fuerunt, causam explicabunt. Alii enim, capite priore freti, morbum esse rarum censuerunt; alii autem caput posterius intuentes, frequentem esse affirmârunt. Sed, ut verbis MORGAGNI utar, “et ante CELSUM et post CELSUM frequentem fuisse Apoplexiam, cum HIPPOCRATES indicavit, tum alii Patris Medicinæ dogmata memorantes confirmaverunt; inter hos HOLLERIUS, et FORRESTUS, rem non modo indubium non vocârunt, sed et suis observationibus comprobârunt.” Hic morbus revera, omnibus temporibus, in omnibus regionibus, et tempestatibus, omni ætate, et ordine vitæ, fieri solet: nihilominus in locis frigidis atque humidis, in cœli constitutione pluviosa et austrina, ætate provec-

ta, et inter nobiles potius quam novos, maxime vigere solet. Raro quidem pauperum tabernas pulsat Apoplexia; raro nostra infestat Nosocomia, siquidem ipse, opera praxi clinicæ jam diu data, unum duntaxat exemplar vidi: hanc sententiam confirmat vir acri ingenio præditus Dominus CHEYNE, cui, dum quinque annos in re militari versabatur, haud ullum exemplum subsensus cecidit: nec dubitat affirmare, hunc morbum in Nosocomiiis Militaribus rarissime inveniri. Quanquam hic morbus homines ætate provectoros potissimum invadit, interdum tamen juvenes, interdum maturos occupat. Quare vero Apoplexia, magis divites quam pauperes, otiosos quam impigros afficiat, hujusce mali causas animadvertendo, mox ostendetur. Interea rationem definitionis habeamus.

## DEFINITIO.

CULLENI præclari definitio mihi accuratior esse videtur, scilicet; "Motus voluntarii fere omnes imminuti, cum sopore, plus minus profundo, superstite motu cordis et arteriarum."

More CULLENI hunc morbum in duo genera dividere liceret, nempe, Sanguineum et Serosum. Hic autem apoplexiam a sanguine tantum attingere placet.

#### RATIO SYMPTOMATUM.

ALIQUANDO, ante morbi impetum sese homo bene habere videtur, multos annos sperans, morbo in corpore jam latente in lucem facile profereundo : sæpius autem præeunt corporis plenitudo, ab exercitatione abhorrentia, et lassitudo una cum quodam, præcipue post cibos, sopore. Sæpenumero gravitas dolorve capitis, visûs auditûsque imminutio, voluntariorum musculorum tremores, necnon, per intervalla, delirium, accedunt. Aliquando epistaxis superveniens ægrum levat ; eam fere præcedunt pulsationes arteriarum temporalium insolitæ, et tinnitus aurium, cum oculis tumidis et humidis. Ubi signa jam memorata conspiraverunt, morbi impetum timere licet ; nonnulli tamen, quibus secunda adhuc fuerat valetudo, hoc malo ex improvise tenentur ; et, nul-

lis morbi signis præredientibus, motu, sensuque orbati concidunt. Pulsus primo est tardus et plenus, mox citior et debilior futurus; respiratio laboriosa, et rhoncho haud raro comitata. Ingravescente malo, sphincteres recti et vesicæ urinariæ resolvuntur; spuma oris necnon convulsiones accedunt; oculi fiunt vitrei, et extrema frigescunt: denique, cita mors ægrum premit. Quod ad convulsiones attinet, in hoc malo adeo frequentes, paulo ante impetum, vel ante mortem sese fere ostendunt. Quod ad spatium temporis quo desinit hic morbus, aliud exemplar ab alio multum distat: modo intra paucas horas, modo intra paucos dies hominem tollit; modo autem complures hebdomadas vel etiam menses perdurat. Ubi superstes fuerit æger, quibusdam membris capitur; memoria fugit, vel saltem immittitur, vox adeo deficit, ut quædam vocabula proferre nequeat; plus minusve labat animus; et convulsionibus obnoxius erit, si quando potum cibumve immodice assumpserit. Postremo, (ut ita dicam) hemiplegia plerumque Apoplexiam excipit.

## SECTIO CADAVERUM.

NON defuere Apoplexiæ exempla, in quibus, licet extemplo sublatus fuerit æger, nulla morbi signa reperta fuerunt. HOFFMANNUS quidem, certe autem injuria, ait; “ Quis ventriculos sanguine oppletos in Apoplexia vidit unquam?” Nimirum in hac re fallebatur eruditus vir; investigatores enim celeberrimi, BONNETUS et MORGAGNUS, cum multis aliis, ventriculos sanguine infarctos in Apoplexia a se visos esse tradiderunt. Neque vero inficior, in quibusdam Apoplecticorum corporibus incidendis, ne ullum quidem morbi vestigium in ventriculis inveniri posse. Hujusmodi casum notatu dignum, aliquanto fusius sic narrat BONNETUS: “ Senex Theologus, vir probus et pius, corpore obeso, necnon collo brevior et toroso præditus, diu invaletudinarius, et vitam sedentariam agens, cacochymiam valde scorbuticam contraxerat: respiratione difficili et anhelosa, et capitis gravitate, et torpore insolito affectus, vix quicquam præterea laboris aut ex-

exercitii præstare poterat, quam quod quotidie e cubiculo ad sacellum adiret et rediret. Quodam mane capellam paulo ante preces ingressus, dum genibus provolvitur de repente percussus, et mox αφανῶς et insensibilis factus, in humum concidit: illinc vero sublatus, et vestibus exutus, lecto concalecto imponitur: Ipse aliique Medici mox accersiti, reperimus eum non modo absque sensu, pulsu et respiratione, sed toto corpore frigentem, et plane rigidum: nec ullis remediis aliquandiu licet diligentissime adhibitis, ad vitam aut incalescentiam revocari potuit; unde suspicati sumus a primo ictu cordis pulsum penitus ademptum fuisse: postridie cadaver exanime satis obriguisset visum, aperuimus, nihil dubitantes, quin affectus ita subito lethalis vestigia satis clara, intra εγκεφαλον relictæ, in conspectum prodirent: verum illic, aut in alia quavis parte, morbi licet atrocissimi, ne vel umbra quædam supererat: vasa meningas irrigantia sanguine medioeriter repleta fuerunt, absque ulla tamen phlogosi, aut extravasatione: Cerebrum, cerebellum, et medulla oblongata, cum processibus eorum omnibus et prominentiis, ubique firma et bene co-

lorata, tum extra tum intus per totum apparebant. Nec serum nec sanguis effusus ullibi intra eorum poros et meatus, nec etiam in ventriculos coacervabatur: quinimo plexus choroides, tum intra cerebri cavitatem, tum pone cerebellum consiti, omni culpa immunes videbantur; adeo ut materies morbifica prorsus inconspicua maneret, ejusque illic præsentiam tantummodo ab effectu arguere liceret." Hic æger ex insultu apoplectico interiisse videbatur: hanc autem sententiam signa procul dubio satis confirmant: si res ita se habet, fortasse percontabitur aliquis, quænam mortis causa fuerit? Hanc scilicet ipse BONNETUS explicat, qui, in sectione cadaveris persistens, paulo post ait: "Ad thoracem devenimus, ubi pulmones discolores, et ichore spumoso per totum infarcti, respirationis difficilis et anhelosæ causam satis manifesto prodebant: cor vero satis sanum ac firmum, obstructione quavis prorsus immune existebat: porro, nec in vicinia ejus, nec in aliis circumcirca visceribus, abscessus quispiam aut apostema reperiabatur." In plerisque cadaverum sectionibus, exsecto cranio, vasa cerebri admodum turgida reperiuntur, necnon tota substantia cere-

bri incisa puncta sanguinis passim ostendit: ex venis occipitalibus aliisque sanguis abunde erumpit. Dura mater, multo crassior quam æquum est videtur, tantoque arctius quam solet, calvariæ adhæret, ut magna vi opus sit ad hanc avellendam. Crassiores autem, minusque pellucidæ quam solent, pia mater et tunica arachnoidea, quippe quibus vasa sanguine distenta sint. Porro, cerebri substantia justo firmior esse videtur; nonnunquam vero, hoc per ætatem fieri potest; nam plures auctores massam cerebralem ætate provecta, quam in juventute, solidiorem esse volunt: attamen hæc observatio non semper constat. In unum alterumve ventriculum, haud raro magna copia effusus fuit sanguis, modo ater, modo sero permistus, modo concretus. Ubi autem extra vasa parum erupit sanguis, vehementioris arteriarum motus venosæque congestionis monumenta, fere semper in conspectum veniunt. Cæteras inter partes corporis hoc morbo subinde laborantes recenseri potest jecur, quod viscus peritonæo hic illic adhærens, aliasque morbosum sæpenumero reperitur: neque tamen illud est mirandum, siquidem apoplectici sæpius ebrietati



sunt addicti. Pericardium in hoc malo plus æquo humoris continere MORGAGNIO videtur; vel ita res se habet, vel saltem in medio relinquamus. Cerebrum vero, cerebrique cava sanguine esse referta, ab eodem Anatomico indefesso iterum atque iterum certiores facti sumus.

#### CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

INNUMERÆ sunt causæ proclivitatem ad Apoplexiam efficientes. Cum autem procliviores alii ad alios morbos existunt, ita maxime huic malo sunt obnoxii, quibus corpus est obesum, collum breve, caput amplum, et qui vitam agunt otiosam, et qui laute vivunt. A valde imminutis menstruis, aliisque purgationibus, oriri potest Apoplexia; nonnunquam vetustorum sanatio ulcerum, causam suppeditat: alias animi effectus, amor, scilicet, ira, gaudium, eundem præstant effectum. Labor immodicus, nocturnæ vigiliæ, studia, gravesque occupationes, hujus insultum morbi faciunt; necnon cibo ventrem saturare periculosum est. Vapores etiam mephitici, et

quædam res narcoticæ, alcohol, scilicet, opium, æther, et similia, et metallorum paucorum vapores, utpote hydrargyri, &c. pari modo nocebunt. Fortasse Apoplexia ab arthritide, multisque aliis affectibus, vel inopinatis, vel a sensibus minime perceptis, originem ducere potest. Denique, quicquid impetum sanguinis a corde in cerebrum euntis augebit, vel ejus reditum ex capite in cor impediet, hanc labem miserandam inferre possit.

## CAUSÆ EXCITANTES.

HARUM magna copia est; quarum, tamen, nonnullæ inter causas prædisponentes jam recensitæ fuerunt. Aliquando ebrietas hoc malum ciet; aliquando vulnera, fracturæ, scilicet, depressio, aliæque capitis noxæ, idem efficiunt. Vulnera quidem capitis, etiamsi levia, morbum subito moveri solent; eduntque effectus, ut videtur, cerebrum comprimendo. A quibusdam auctoribus inter causas, memorata fuit capitis deorsum inclinatio, cum aetiore juguli vinctura. Frigus

diuturnum, et immodicum, pariter ac nimius calor, Apoplexiæ causam suppeditabit. Aër mephiticus, et fulminis ictus, nonnunquam idem faciunt. Aliquando a tumoribus duræ matri incumbentibus, a vasorum in os mutatione, aliisque obstructionibus mechanicis, morbus oriri visus fuit. Quo pacto autem, causæ supra memoratæ (cum multis aliis, quas enumerare si opus esset possem) in quosdam effectus edant, hic exponam haud necesse est. Nimirum, aliæ serius, aliæ ocyus agunt, aliæ nervos, aliæ vasa sanguifera afficiunt. Postremo, quicquid ad vasorum cerebri diruptionem confert, malum de quo agitur, propius aut remotius excitare possit.

#### CAUSA PROXIMA.

UT causæ prædisponentes morborum in universum sæpenumero fiunt excitantes, ita causas excitantes subinde proximas fieri posse nonnulli credere possunt. Apoplexiæ tamen cujusque, ut accuratius loquamur, causa illa proxima et quæ morbum continet, una esse videtur; intimorum,

scilicet, qui in cerebro fiunt, motuum, cum videlicet nos movemus, sentimus, cogitamus, subita imminutio, tanta interdum, ut proxime ad cessationem accedat, aut in cessationem continuo transeat. Eam imminutionem multæ sunt et variæ quæ inducant causæ, quarum aliæ omnino sensus fugiunt, aliæ apparent. Ex his complures supra memoravimus, illas vero conjicere nec res nec tempus sinit: sat erit hic proponere, sanguinis, in aliquam partem cerebri vel cerebelli, effusionem, vel pro causa proxima, id est, morbo sæpissime haberi posse.

## DE DIAGNOSI.

SIQUANDO hoc malum cum Syncope vel Epilepsia confusum fuerit, hoc perraro accidere necesse est. In Syncope pallescit vultus, in Apoplexia faciei color manet vel augetur; in Syncope deficit pulsus, in Apoplexia constat; hac in re gravis est spiritus, in illa intercludi videtur. Quod vero ad Epilepsiam attinet, nequaquam difficile est discrimen; hic enim vehementer et per-

petuo æger, durante paroxysmo, convellitur, cessante vero sanus evasurus: In Apoplexia, contra, convulsiones, etiamsi accesserint, leves ac raræ esse videntur, neque his cessantibus levatur morbus. A soporosis quibusdam affectibus ad Apoplexiam discernendam sufficiet placida quies, quæ iis innata est, neque sane in iisdem animadvertere licet istam respirationem laboriosam, quæ Apoplexiam comitari solet. Quid multa? Etsi ne ipsius quidem CULLENI concinna ac diserta definitio Apoplexiæ, universa signa comprehendat, tamen ita paucis complectitur, ut qui morbum ab illo præclaro viro descriptum semel viderit, is ab omnibus aliis affectibus facile dijudicaret.

#### DE PROGNOSI.

SIVE veterum scripta auctorum volvamus, sive recentiorum experientiam medicorum animadvertamus, præsagia hujus morbi esse infausta vel saltem dubia fatendum est. Ut vero in cæteris malis, ita præcipue in hoc, ad periculum rite æ-

stimandum multa sunt reputanda. Ægrotantis ætatem, animum, corporis habitum, victûs consuetudinem, necnon prægressa incommoda, anni tempus, aëris constitutionem, denique causas prædisponentes et excitantes, caute perpendere oportet. Quodocunque aliquem ætate jam provec-tum, obesum, florido faciei colore præditum, me-racioribus uti vinis solitum, vertigini, vel cepha-lalgiaë, vel arthritidi prius obnoxium, corripit Apoplexia, malum est. Quum vero hæ res con-tingunt in pluviosa, frigida et austrina cœli con-stitutione, amissa loquela, nec recuperanda, porro curis animum fatigantibus, pejus : ubi vero his accesserunt convulsiones, deficiente pulsu, æ-ger autem invitus fæces cum urina ejicit, pessi-mum ; immo, vix ac ne vix quidem spei locus est. Vulnera capitis haud raro Apoplexiam secum afferunt : quamvis autem hujusmodi malum con-tingat adolescenti, nec Cereri nec Baccho ni-mium addicto, nullis curis agitato, nulla adhuc passo incommoda ; porro etsi vulnus adstantibus leve esse videatur, incerta saltem erit prognosis ; res enim in periculo versatur. Si vero Apoplexia juvenem pleniore corporis habitu prehenderit,

forte dapibus vinoque expletum, cætera sanum, neque morbus in ipso impetu vehemens esse visus fuerit, meliora sperare, eventumque feliciorum quodammodo præ sagire licebit.

#### DE CURATIONE.

CUM ratio medendi, quod ad medicum attinet, magni, quod ad ægrotum, permagni interest, de hac fusius loqui licebit. Neque vero hanc incepti nostri portionem in duas partes, alteram quæ ad tollendum morbum, alteram quæ ad præcavendum pertineat, dividere alienum esse mihi videtur.—Ut a priore incipiam: si Arthritis medicorum opprobrium diu appellata fuerit, Apoplexia offendiculum, iisdem esse, haud immerito judicari potest: revera ipsum vocabulum instantis fati periculum indicat, nec defuerunt homines, qui, puncto temporis, hoc malo perierint. Transeamus autem ad ea morbi exempla, in quibus artem medendi profuturam sperare liceat; hæc vero in pueris æque ac juvenibus, in maturis pariter atque in senibus, reperire solent. Ut in

cæteris morbis, ita præcipue in hoc, ætatis, sexus, tum corporis tum animi habitus, prægressorum malorum, anni temporis, cœli constitutionis, similibusque, ratio habenda est. Causæ autem prædisponentes, et, supra omnia, excitantes, diligenter perscrutandæ sunt, siquidem sublata causa tollitur effectus. Hoc vero minime perpetuum esse haud negandum ; in Apoplexia enim causa edit effectum, quem alii effectus eodem vestigio excipiunt. Ubi indicia hujus mali prius memorata inter se conjunguntur, talem symptomatum concursum præstant, qualem neque ullum aliud malum ostendat, neque medicus sine quodam terrore intueatur. Nil tamen desperandum, usu duce et auspice usu : ergo accedente insultu apoplectico, cognitis signis, et quantum fieri potest exploratis causis, statim ad auxilia idonea confugiendum est. Hæc inter primum locum jure tenet missio sanguinis. Quacunque enim ætate acciderit id malum, pueritia an adolescentia, media ætate an senectute, haud prætermittenda sanguinis detractio. Quibuscunque anni temporibus, hyeme vel æstate, vere vel autumnno, quibuscunque cœli tempestatibus, frigidis an calidis,



siccis an pluviosis, prehensus fuerit aliquis, idem præsidium est tentandum. Quotiescunque demum infestavit morbus formidolosus, sive otiosi, sive laboriosi, sive curis pleni, sive vacui fuerunt, sive laute, sive parce vixerint, iis omnibus porrigendum idem remedium, necnon repetendum, prout morbi intentio et vires ægri patiuntur. Si quid CELSI auctoritas valet, ex ejus libris excerpta quædam huc attinentia depromere licebit. In libri tertii capite vicesimo septimo, *De Resolutione Nervorum* inscripto, primum Apoplexiæ et paralysis quoddam discrimen monstrat; deinde ait, “Solent autem qui per omnia membra vehementer resoluti sunt, celeriter rapi, ac si correpti non sunt, diutius quidem vivunt; sed raro tamen ad sanitatem perveniunt. Si omnia membra vehementer resoluta sunt, sanguinis detractio vel occidit vel liberat. Aliud curationis genus vix unquam sanitatem restituit, sæpe mortem tantum differt. Post sanguinis missionem, si non redit et motus et mens, nihil spei superest: si redit, sanitas quoque prospicitur.” HOFFMANNUS etiam paucis missionem sanguinis laudat; is enim dicit: “Periculosus Apoplexiæ morbus sola sæpius sanguinis largiori

detractione ex manu discutitur, quale auxilium natura non subministrat." At sanguis e brachio, vel e vena jugulari, vel e temporibus educendus est; iterum atque iterum pro re nata repetenda detractio. Neque vero prætereunda, sanguinis per cucurbitulas missio, quippe quæ ab eximiis scriptoribus valde laudata fuerit; inter hos sunt MORGAGNIUS et WALTHERUS. Siquando febris in universum adsit, e brachio sanguinem mittere utilissimum est, siquidem nihil citius eam tollit quam venæsectio. Neque enim ibimus inficias, diversis in malis febris multum proficere; etsi vero in serosa Apoplexia id verum esse fateamur, in sanguinea tamen obesse concedendum est. Quemadmodum et quoties peragenda sanguinis missio, ex usu necnon ratione optime intelligemus. Post debitas sanguinis missiones, ad alvi ductionem confugiendum est. Hoc consilio, Rheum Palmatum, Sennam, Aloën, sales medicos, vel demum, quod cæteris auxiliis longe præstat, Hydrargyri Submuriatem, adhibere licet. At si aliquid sorbere nequeat æger, tum enemata minus aut magis acria immittenda. Perpauci quidem sunt morbi in quibus prudens purgan-

tium usus parum proficit, neque in malo tam periculoso hujusmodi præsidia omitti debent. Quod ad vomitoria medicamenta attinet, his rarius utendum est in Apoplexia, quippe cujus causa rarius in ventriculo delitescat. Huc refert exemplum ab HOFFMANNO traditum fœminæ septuaginta annorum, quæ conatum experta fuerat ad vomitum, et cui jam “venæsectione et ant-apoplecticis refocillatæ porrexit medicus emeticum, ex granis viginti radicis Ipecacuanhæ et grano uno Tartari emetici. Paulo post novus accessit insultus apoplecticus, et post duodecim horas ægra animam efflavit.” Mox vero addit: “Perperam oblatum esse huic Apoplexiæ tactæ vomitorium, merito judicandum; quandoquidem in ventriculo nec vomitus, nec Apoplexiæ fuit causa, sed is potius symptomaticus. Compertum quoque ex pathologicis est, apoplecticum insultum a sanguinis et humorum congestione ad caput oboriri; quumque hæc congestio sub vomitu augeatur, patet utique novo insultui per emeticum ansam fuisse suppeditatam.” Aliquando tamen concitare vomitiones utile esse potest, scilicet, ubi insolitam immodicamque vini, vel cujus-

libet ardentis liquoris potationem, Apoplexia exceperit. Porro, si quis, Opii, Digitalis, aliarumve rerum similium nimia portione subito assumpta, Apoplexia prehensus fuerit, vomitoria sibi locum jure vindicabunt. Denique, tria tantum genera remediorum proposuimus, quippe quæ ad hunc morbum levandum maxime conferant, sanguinis missiones, purgantia, emetica. Verum enimvero alicui me ter interroganti, ter idem responsum redderem : nempe, sanguinis missionem.

Jam vero ad eam opusculi partem quæ ad præcavendum morbum pertinet, properandum est. Primum est medici, fere innumeras hujus mali causas prædisponentes pariter atque excitantes, quantum fieri potest, et explorare et memoria tenere : deinde intueri oportet proprietates hominum, sine quarum notitia non facile quicquam in futurum præsagiri, nec quisquam ab injuria custodiri potest. Qui sese bene habet, is sæpius a medico alienus est, a medicina abhorret ; at si plenior aliquis, et speciosior, et coloratior factus est, hunc erit medici obnixè præmonere ut suspecta bona sua habeat. Est etiam animadvertendum, obesos plerumque acutis morbis, et dif-

ficultate spirandi, subitoque sæpe mori, quod in corpore tenuiore vix evenit : Sed neque diversas causas, quæ Apoplexiam inducunt, neque eas quæ gignunt, hic percurrere opus erit ; nam fere omnibus sunt notæ ; ac si demum suos edere effectus iis concessum fuerit, plerumque frustra medicus accersitur. Medicum igitur pervigilare oportet, atque venienti occurrere morbo ; hic enim, ut poëtæ verbis utar, “ sero medicina paratur, cum mala per longas invaluere moras.” Etsi vero in tollendis morbis ars medica sæpius parum proficiat, neque tamen dubitandum est, quin ad eosdem avertendos plurimum valeat : hac in re medicinæ usus est præstantissimus. Cum enim ab aëre, victu, motu, excretis retentis, animi affectibus, et similibus, pendet sanitas, et morbi proficiscuntur, ut ea sciamus quæ prosint et noceant humanis corporibus, pars medicinæ est utilissima. Sed quoniam est medicorum ita præscribere sanitatis leges, ut imminetia mala avertere possint, qui medicinæ scientiam sibi vindicant, eos majori studio ac labore hanc medicinæ partem agitare : qui sanam et longam vitam ducere exoptant, hos consulere medicos

peritos oportet, aliquando potest ars medica tollere morbos, sed eos præcavere longe potentior valet: est quoque tutius cavere, ne corpus in morbos proruat, quam ipsos præsentés depellere.

Plura de hac re facile proponerentur, sed tempus vetat: redeamus igitur ad Apoplexiam, et paucis absolvamus. Amicum quendam vel propinquum huic malo procliviorē esse ponemus; huic corpus est obesum, collum breve, facies rubicunda; meracioribus uti vinis citra ebrietatem solet; ad satietatem prandet; apparatus cœnat; sedentariæ vitæ, nec non curis, gravibusque occupationibus deditus, per menses aliquot vertigini obnoxius factus est: nuper etiam de capitis plenitudine semel atque iterum questus fuit. Is adhuc securus edit, bibit, dormit, forsā ab aliis adductus ut credat se esse sanum: profecto huic homini impendet Apoplexia: Quid faciendum? Neque dubii neque moræ locus erit. Tali in re ipsa natura idoneum auxilium indicat; subita enim sanguinis e naribus profusio, modo morbum depellit modo avertit. At si natura (id quod sæpius accidit) deficiat, secundum artem detrahendus sanguis; iterum atque iterum, si opus erit, repetenda de-

tractio. Dein catharticis et laxantibus diversi generis pro re utendum est. Imperanda abstinentia a cibis lautioribus et a vino; præcipienda gestatio, cum omnigena corporis exercitatione. Post hæc, si capiti nihil æque prodest ac aqua frigida, is cui hoc infirmum est, per æstatem id bene largo canali quotidie debet aliquandiu subijcere. Neque tamen corporis solum, sed animi ratio habenda; frustra enim medicus, alterum curabit, nisi alterum temperarit. Nihil opus est alia exempla hujus mali proferri; nam ex uno aliquatenus discemus omnia. Denique quid superest, nisi ut cum GALENO doceamus, “perfectam curationem a causis exordiri;” ut CELSI verbis assentiamus, “Is recte curat quem causæ origo non fallit;” ut FERNELIO astipuler, scite asserenti, “Morbos absque causarum præcognitione nec præcaveri nec feliciter curari posse?”

FINIS.





